

pœna censuræ mandavit, moriatur antequam contracta fuerit censura, mandatum cum sua pœna exspirat.

1º A censuris ab homine per sententiam vel per mandatum particulare latis solus qui eas tulit, vel ejus successor aut superior, aut ad hoc legitime delegatus absolvere potest, quia est causa determinata cognosci copta, quæ ideo ab alieno judice terminari non debet, alioquin ordo jucandi turbaretur. *Ita omnes.* Si ageretur de censuris ab homine per modum generalis mandati latis, v. g., in eos qui tale admiserint crimen, multi docent quemvis sacerdotem approbatum ab eis absolvere posse, modo a superiore non fuerint reservatae. *S. Ligorius*, l. 7, n. 73, hanc tradit sententiam ut probabiliorem.

2º A censuris a jure latis, et non reservatis, quilibet sacerdos approbatus absolvere potest, et idecirco in forma absolutionis sacramentalis his utitur verbis: *Ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges.* Ita generaliter theologi et canonistæ, innixi ultimis verbis c. 29, tit. 39, l. 5 Decretal. et praxi Ecclesiæ. Quamvis enim simplices sacerdotes, ad audiendas confessiones approbati, jurisdictionem in foro externo non habeant, ad solvenda censurarum vincula certe delegari possunt: atqui, ex usu Ecclesiæ, quicumque ad audiendas confessiones simpliciter approbantur, eo ipso a jure delegantur ad absolvendum a censuris non reservatis, et eorum absolutio valet etiam pro foro externo, ut dicunt *S. Ligorius*, n. 70, et multi cum illo. Sed absolutio a confessario data non valet pro foro externo, si censura sit notoria. *Reiff.* l. 5, tit. 39, n. 246; *Coll. Andeg.*, t. 12, p. 88, *Lequcux*, n. 1451 et 1453, etc.

3º A censuris reservatis is solus absolvere potest cui reservantur vel ejus successor, vel ipsius quoad hoc superior, aut legitime delegatus: optime enim intelligitur illusoriam fore reservationem si aliis absolvere posset, et aliunde reservatio efficit ut alias jurisdictionem in dictas censuras non habeat. Ergo, etc. Successor autem cum eamdem habeat jurisdictionem, nullum est dubium quin a censuris a prædecessore suo latis absolvere possit. Item

superior quoad hoc, ut dictat ratio et habetur in *Decretal.* l. 1, tit. 31, cap. 8. Dicimus *superior quoad hoc*, quia archiepiscopus, quamvis superior episcopis sibi suffraganeis, eorum subditos tamen absolvere non potest, nisi in casu appellationis aut visitationis ubi est in usu, ut in *Sexto*, l. 5, tit. 11, cap. 7, statuitur. Unde concluditur eos qui habent potestatem absolvendi a censuris summo Pontifici reservatis, non ideo ab eis quas episcopus sibi reservavit absolvere posse.

Nulla requiritur forma verborum signorumve determinata ut absolutio a censuris valeat; sufficit ut voluntas superioris aliquo sensibili signo manifestetur. Ut autem haec absolutio sit licita, servanda est forma in *Rituali præscripta*, si detur in foro externo; si in foro interno, tantum utendum est forma consueta: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, etc.

Notandum absolutionem a censuris non esse sacramentalem, sed relaxationem vinculi ab Ecclesia impositi; quæ relaxatio pronuntiari potest in absentes per nuntium, per litteras, ut in pluribus juris canonici locis supponitur, et sæpe factum est. Hoc tamen intelligendum est de iis qui habent potestatem ordinariam; delegati enim verbis delegationis vel consuetudini receptæ derogare non debent. Unde simplices presbyteri, ad audiendas confessiones approbati, extra penitentia tribunal a censuris absolvere nequeunt.

Tempore Jubilæi, omnes confessarii extraordinariam habent potestatem absolvendi a censuris reservatis; ut extensio illius potestatis noscat, attendenda sunt verba concessionis prout sunt in bulla summi Pontificis.

CAPUT QUINTUM.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Excommunicatio, idem significans ac extra communio nem, est censura qua quis usu bonorum spiritualium fi-

delibus communium totaliter vel partialiter privatur. Duplex enim distinguitur excommunicatio, major scilicet et minor. Major externa fidelium communione totaliter privat, et facit ut excommunicatus sacramenta Ecclesiæ nec suscipere, nec administrare possit; minor vero ab eorum participatione passiva tantum privat. Hæc distinctio sæpe invenitur in jure.

Dicemus 1º de effectibus excommunicationis; 2º de præcipuis excommunicationibus a jure latis, ipso facto incurrendis; et 3º de monitoriis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS.

Excommunicatio minor contrahitur ab iis qui modo illicito cum excommunicato non tolerato, de quo infra, communicant, et duplex est tantum illius effectus, scilicet privatio passiva sacramentorum, et privatio passivæ electionis, id est, qui excommunicatione minori est innodatus nec sacramenta suscipere, nec ad officium aut beneficium eligi potest; sed eadem sacramenta administrare, non tamen sine peccato veniali juxta multos, et in electione suffragium suum emittere posset, ut patet ex Decretal. lib. 5, tit. 27, cap. 10. Quilibet confessarius ab ea excommunicatione absolvere potest, ex Decretal. lib. 5, tit. 39, cap. 29. Hæc de excommunicatione minori sufficiunt.

Excommunicatio simpliciter dicta semper est major et a participatione bonorum spiritualium omnibus fidelibus communium excludit. Duplicis autem generis distinguuntur excommunicati, alii nempe sunt vitandi et alii tolerati: ii dicuntur vitandi a quorum consortio abstinere juberunt fideles, et tolerati ii sunt quos fideles nullatenus vitare tenentur.

Notandum omnes excommunicatos ante concilium Constantiense vitandos fuisse, modo constaret eos excommunicationem incurrisse: sed, ad vitanda scandala et multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingebant, Martinus V, constitutione incipienti *Ad vitanda scandala*, sta-

tuit ut deinceps ii soli vitandi essent qui nominatum et publice fuissent denuntiati, et notorii clericorum percussores. Hæc autem Martini V concessio facta est unice in favorem fidelium, non vero in gratiam excommunicatorum. Effectus igitur excommunicationis iidem sunt respectu eorum ac erant antea, sed non respectu fidelium.

De effectibus excommunicationis respectu excommunicatorum.

Primus effectus est privatio publicorum Ecclesiæ suffi- giorum, quæ sunt missæ sacrificium, horæ canonicae, orationes, indulgentiae, etc. Hæc enim a ministris, nomine Ecclesiæ agentibus, cunctis fidelibus applicantur; sed excommunicati, sive denuntiati, sive tolerati, ab ea applicatione excluduntur. Licit tamen orare et etiam missam offerre pro iis omnibus privatim, imo probabiliter quandoque nomine Ecclesiæ pro toleratis, ut agendo de missæ sacrificio explicavimus. Ecclesia quæ feria VI in Paracceve, publice orat pro schismatics, hæreticis et paganis, pro excommunicatis non orat, sicque eos specialiter afficit pena in hac die immensæ misericordiæ.

Secundus est privatio passiva sacramentorum; excommunicatus enim etiam toleratus mortaliter peccaret si sacramentum aliquod susciperet, nisi forte gravis causa, v. g., necessitas vitandi scandalum, infamiam, etc., eum excusaret; censura quippe non obligat cum tanto incommodo. *S. Ligorius*, l. 7, n. 158.

Tertius est privatio activa sacramentorum, id est excommunicatus mortaliter peccaret sacramentum aliquod administrando nisi necessitas, v. g., subveniendi adulto in extremis posito per Poenitentiam, vel, si confiteri non possit, per Extremam-Untionem, vel pueri per Baptismum, eum excusaret. Valida tamen sunt sacramenta ab excommunicato tolerato administrata, quia suam retinet jurisdictionem in aliorum utilitatem; imo valerent ab excommunicato vitando collata, excepta Poenitentia, quæ, ob defectum jurisdictionis, non valeret, nisi in articulo mortis. *Sic omnes.*

Quartus est privatio divinorum officiorum, ita ut excommunicatus ea celebrare nequeat, nec eis assistere, v. g., missæ, horis canonicas, processionibus, consecrationi S. chrismatis, benedictioni solemnii aquæ, cinerum, palmarum, etc., nisi necessitas vitandi infamiam aut scandalum excuset, ex Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 29 et 43, et ex Sexto, l. 5, tit. 11, cap. 24. Potest, e contra, privatim orare, sacras imagines et reliquias habere easque venerari, aquam benedictam sumere, panem benedictum edere, aliquis sacramentalibus uti, non quidem ut obtineat fructum quem ex benedictione vel institutione Ecclesiæ producunt, sed ut ea ex pietate veneretur. Potest etiam, tempore quo non celebrantur officia divina, ecclesiam ingredi et ibi seorsum orare. Vide *S. Ligorium*, l. 7, n. 174.

Attamen qui ratione ordinis, voti, vel beneficij horas canonicas recitare tenet, ab eis per excommunicationem non excusatur; sed privatim eas recitare debet, absque alterius consortio, ut expresse docent theologi. Vide *S. Ligorium*, l. 7, n. 178. Et si presbyter vel diaconus sit, dicere debet: *Domine, exaudi orationem meum, loco Dominus vobiscum.* Si tamen diceret: *Dominus vobiscum*, aut cum socio recitaret, venialiter tantum peccaret, et nullo modo si esset toleratus, et ab altero rogatus, cum illo recitaret. Ita *S. Ligorius* et plures cum illo.

Notandum quod excommunicatus in sua excommunicatione voluntarie remainens, probabilius peccet contra Ecclesiæ præcepta audiendi sacrum, suscipiendo Pœnitentiæ et Eucharistiae sacramenta, quia lex præcipiens auditionem misse aut sacramentorum susceptionem, eo ipso ad removenda impedimenta ab ipsis voluntate pendentia obligat. Ita *Billuart, Collet, Dens*, etc. Concionem audire potest, sed ea peracta statim exire debet, vel expellendus est: id sequitur ex Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 43.

Quintus effectus excommunicationis est inhabilitas ad quodvis officium vel beneficium ecclesiasticum; quoniam enim excommunicatus etiam toleratus cum aliis licite communicare, vel officium exercere non potest, inde sequitur eum ad suscipiendum munus ecclesiasticum inha-

bilem esse, et ita statuit Innocentius III, in Decretal. l. 5, tit. 27, cap. 7. Excipitur si beneficium vel officium a summo Pontifice conferatur, quia summus Pontifex in provisionibus apponere solet clausulam absolutionis a censura quæ effectum concessionis impedire posset. In eo casu valet absolutio censuræ etiam ignotæ, excepta excommunicatione ob hæresim incursa quæ speciali indiget absolutione.

Excommunicatio per se non privat beneficio jam acquisito, nec fructibus ejus, ut fert probabilior sententia; verum si excommunicatus uno anno in excommunicatione perseveret, beneficio legitime acquisito privari potest.

Sextus est privatio usus licti jurisdictionis ecclesiastice, non tamen usus validi, nisi excommunicatus sit vitandus. Decreti parte 2, causa 24, q. 1, cap. 4.; Decretal. lib. 1, tit. 6, cap. 16, et lib. 5, tit. 27, cap. 10.

Septimus est nullitas rescriptorum apostolicorum, ex Sexto, l. 1, tit. 3, cap. 1, et ideo in rescriptis introductory est clausula absolutionis a censuris.

Octavus est privatio sepulturæ ecclesiastice, ut habetur in Decretal. l. 3, tit. 28, cap. 12. Polluitur locus sacer in quo sepelitur excommunicatus, et qui eum scienter sepelunt, excommunicationem etiam majorem incurront. Si tamen excommunicatus signa pœnitentiæ ante mortem dederit, absolvit, et sepultura donari poterit.

Hæc de excommunicato vitando intelligenda sunt; excommunicatus namque toleratus sepultura ecclesiastica non privatur, nisi ut talis publice cognoscatur, aut alia ratione excludendus sit. In nulla autem hypothesi cœmenterium sepultura hujus excommunicati polluitur jure communi.

Nonus est privatio communicationis forensis, ita ut excommunicatus non possit esse judex, advocatus, testis, etc., ex Decretal. l. 2, tit. 27, cap. 24, et Sexto l. 5, tit. 11, cap. 8. Attamen cum hæc exceptio in foro nostro civili non admittatur, si ab ipso talia requirantur, non peccabit ea præstando, modo curam habeat ut quamprimum reconcilietur.

Decimus est privatio communicationis civilis, quæ consistit in commercio inter homines in societate viventes solito, v. g., eos visitando, cum illis colloquendo, ad eos scribendo, eos salutando, cum eis cohabitando, contrahendo, laborando, etc. Hæc omnia vetantur excommunicato etiam tolerato, nisi ab ipso in commodum aliorum exigantur. Decret. part. 2, causa 11, q. 3, can. 18; Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 29, etc.

Præter effectus supra memoratos, duo ali quodcumque sequuntur per accidens, nempe irregularitas de qua infra dicemus, et nullitas absolutionis generalis in litteris pontificiis expressæ, si excommunicatus uno anno in excommunicatione perseveret.

De effectibus excommunicationis respectu fidelium.

Quamvis excommunicatus toleratus, sicut vitandus, omnem communicationem cum fidelibus vitare debeat, fideles eum vitare non tenentur, vi constitutionis Martini V, *Ad vitanda scandalum*, sed duntaxat excommunicatum non toleratum. In sequentibus autem casibus eum vitare debent.

1º Sacerdotes aliquæ ministri Ecclesiæ pro eo publice orare aut missam offerre non debent.

2º Sacraenta Ecclesiæ coram illo ministrare vel officia divina celebrare non licet, et clerici qui admitterent ad officia divina excommunicatum a Papa, excommunicationem majorem Papæ reservatam incurserent, ut in Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 18, statuitur: qui vero alias admitterent excommunicatos, excommunicationem minorem contraherent, et ab ingressu ecclesiæ prohiberent donec prælato a quo lata fuisse sententia satisfecissent, ex Sexto, l. 5, tit. 7, cap. 8.

3º Prorsus illicitum est sacramenta ab excommunicato denuntiato petere aut accipere, nisi urgeat extrema necessitas, ut supra explicavimus, et alius sacerdos deficiat. Idem dicendum est de excommunicato etiam non denuntiato, qui sectæ publice separatae et anathematizatæ adhæreret.

Videantur quæ in Decalogo dicta sunt de peccatis hereticorum et schismaticorum.

Ab aliis vero excommunicatis sacramenta petere licet, servatis tamen iis conditionibus quas in Tractatu *de Sacramentis in genere* indicavimus erga eos qui sacrilegio administrare præsumerentur.

4º Stricte prohibitum est clericis et laicis divinis officiis coram excommunicato vitando assistere, quia eo ipso cum illo communicarent in divinis. Unde si talis excommunicatus interveniat dum officium celebratur, nec possit excludi, cessandum est. Ipsa missa esset interrumpenda, saltem ante canonem; hoc autem incepto, sacerdos cum solo ministro, ceteris abeuntibus, pergeret usque ad communionem inclusive, reliqua vero in sacristia perageret. *S. Ligoriu*s, n° 177.

5º Fideles eum vitare debent non solum in divinis, sed etiam in rebus profanis, prout in sequenti versu exprimitur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os, per quod intelligitur osculum, colloquium etiam privatum, per nutus, litteras, internuntium, et quodvis benevolentiae signum.

Orare, id est quælibet communnicatio in divinis, de qua supra diximus.

Vale, quod comprehendit omnem salutationem honorificam, verbo, signo, amplexu, et juxta multos, etiam resalutationem et urbanitatis signa, quod tamen alii negant præsertim si excommunicatus sit superior vel persona publica. Vide *S. Ligoriu*m, l. 7, n. 192 et 193.

Communio; per hanc vocem intelligitur omnis mutua concertatio et quæcumque societas cum excommunicato, ut cum illo collaborare, sedere, habitare, dormire, contractum inire, etc. Si tamen hæc non fierent per modum societatis, sed ex occasione, ex propria necessitate, v. g., deambulare in eadem via, commorari in eodem diversorio, dormire in eodem cubiculo, sine ulla concertatione, prohibita non essent.

Mensa, qua intelligitur omnis convictus et convivia per modum societatis et commercii.

Omnia quæ præcedunt statuantur in Decreto, parte 2, causa 11, q. 3, can. 16, 17, 18 et 24.

Plurimi sunt tamen casus in quibus cum excommunicato denuntiato communicare licet, et sequenti versu exprimuntur :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1º *Utile*, per quod intelligitur utilitas spiritualis vel corporalis ipsius communicantis vel alterius tertii, ut petere ab excommunicato debitum, eleemosynam, consilium, medicinam pro se vel pro aliis, etc. Item utilitas ipsius excommunicati, ut dare ei eleemosynam, consilium, eum ad conversionem exhortari, ægrotantem sublevare, etc. Excommunicationis enim est pena medicinalis ad excommunicati salutem, non vero ad ejus destructionem.

2º *Lex* significat matrimonium, cuius leges per excommunicationem unius conjugis non solvuntur : unde coniugii excommunicati denuntiati cum illo habitare, vivere, dormire, etc., potest et tenetur, perinde ac si excommunicatus non esset.

3º *Humile*; hoc verbo intelligitur subjectio : unde liberi communicare possunt cum parentibus excommunicatis, et famili cum dominis.

4º *Res ignorata*; id est, qui ignorat aliquem esse excommunicatum, non peccat cum illo communicando, nisi ignorantia facile depelli possit.

5º *Necesse*; id est, si aliqua excommunicati vel alterius necessitas physica aut moralis communicationem exigat, v. g., periculum mortis, vel metus alterius gravis aut notabilis damni.

Cunctæ illæ exceptiones reperiuntur in Decreto, parte 2, causa 11, q. 3, can. 103.

Qui extra præfatos casus cum excommunicato denuntiato communicat in divinis, peccat mortaliter; si communicet in profanis, etsi excommunicationem minorem incurrat, venialiter tantum, secluso contemptu, peccare

censetur. Ita *S. Ligorius*, l. 7, n. 196, et plures apud ipsum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PRÆCIPUIS EXCOMMUNICATIONIBUS A JURE LATIS ET IPSO FACTO INCURRENDIS.

Quidam doctores excommunications latæ sententiae improbare visi sunt, ut notat *Bened. XIV*, de Synodo dicentes. l. 10, c. 1, n. 5, *Van-Espen*, etsi eas absolute damnare non audeat, affirmat recenter fuisse inventas, per decem priora sæcula ignotas, in toto Gratiani decreto vix aliquam reperiri excommunicationem latæ sententiae. Hanc opinionem amplectitur et laudat auctor *Theologiae Lugdunensis*, et alii auctores Gallicani ab ea non recedunt.

At *Bened. XIV*, loco citato, n. 6 et seq. pluribus exemplis, testimonios ac rationibus, ostendit morem decernendi censuras latæ sententie patribus nostris etiam in remota antiquitate inusitatam non fuisse. Fatendum tamen ex decimo tertio et posterioribus sæculis, frequentiores evasisse hujusmodi censuras, multa reperiri in conciliorum decretis, in summorum Pontificum constitutionibus decreto Gratiani posterioribus, et in episcoporum statutis. Inter excommunications latæ sententiae aliae nulli reservantur, aliae reservantur episcopis, et aliae summo Pontifici.

Præcipue excommunications quæ nulli reservantur.

Usitatores sunt contra omnes : 1º in eos qui vexant clericos directe vel indirecte, eo quod eligere noluerint eum pro quo rogati fuerant, *Sexti*, l. 1, tit. 6, cap. 12; 2º in eos qui vocati ad dirigendas monialium electiones, discordias fovent, *ibid.* cap. 43; 3º in extorquentes absolutionem a censura per vim aut metum, *ibid.* l. 1, tit. 20, cap. unico; 4º in compellentes ecclesiasticos ut jura Ecclesiæ laicis submittant; *ibid.* l. 3, tit. 9, cap. 2; 5º in docentes leges vel medicinam religiosos qui dimiserunt habitum, vel eos in scholis suis retinentes, *ibid.* l. 3, tit. 24, cap. 2; 6º in sepelientes tempore interdicti, vel interdictos